

## Anhang: Die älteste Überlieferung des Scholarenprivilegs Friedrich Barbarossas (Authentica „Habita“)

Cambridge, Mass., Harvard Law School Library MS 64 (saec. XII), Rückseite  
des vorletzten Blattes

Zu Einzelheiten des Textes vgl. oben S. 129 f.

Imperator Federicus universis sui regni fidelibus.

Habita super hoc diligenti inquisitione episcoporum, abbatum, omnium iudicum et aliorum procerum sacri palatii examinatione, omnibus qui causa studiorum peregrinantur scolariis et maxime divinarum atque sacrarum legum professoribus hoc nostre pietatis beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus litterarum exercentur studia, tam ipsi quam eorum nuntii veniant et habitent in eis securi. Dignum namque existimavimus, ut, cum bona facientes nostram laudem atque protectionem mereantur, eos, quorum scientia illuminatur mundus ad obediendum deo et nobis, eius ministris, vita subiectorum informatur, quadam speciali dilectione ab omni iniuria defendamus. Quis eorum non misereatur, cum amore scientie facti exules de divitibus pauperes semetipsos exinaniunt, vitam suam omnibus periculis exponunt, et a vilissimis<sup>a)</sup> sepe hominibus — quod graviter ferendum est — corporales iniurias sine causa perferunt<sup>b)</sup>?

Hac igitur generali et in eternum valitura lege decernimus, ut nullus de cetero tam audax inveniatur, qui aliquam scolariis iniuriam inferre presumat, nec ob alterius eiusdem provincie delictum, quod aliquando ex perversa consuetudine factum audivimus, aliquod dampnum eis inferat. Scituris huius sacre constitutionis temeratoribus et illius temporis, si hoc vindicare neglexerint, locorum rectoribus restitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum notaque infamie ipso iure eis irrogata dignitate sua careant in perpetuum.

Verumptamen, si eis litem super aliquo negotio quispiam movere voluerit, huius rei optione data scolariis eos coram domino aut magistro vel ipsius civitatis episcopo, quibus hanc<sup>c)</sup> iurisdictionem dedimus, conveniat. Qui vero ad alium iudicem eos trahere temptaverit, á causa, etiamsi iustissima fuerit, pro tali conamine cadat.

Hanc vero legem inter imperiales constitutiones sub titulo ‚ne alius pro alio conveniatur‘ inseri precipimus.

<sup>a)</sup> audissimis *Harv.*

<sup>b)</sup> proferunt *Harv.*

<sup>c)</sup> hanc quibus *Harv.*